



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

30. An si lex improbat consuetudinem per verba generalia, non solum de consuetudine praeterita, sed etiam de futura intelligatur? Ex p. 6. tr. 5. res. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XXIX.

An prior consuetudo maneat abrogata per legem, si in ipsa non officiat mentione de consuetudine in contrarium? Ex p. 6. tr. 5. Ref. 22.

§. 1. Respondet D. Antoninus affirmatiuè, & colligitur ex c. 1. de consuet. in 6. Sed aliqui distinguendum putant: quia aut consuetudo est generalis in tota Prouincia aut Regno, aut specialis alicuius oppidi aut loci, vel determinati status personarum. Et quidem si consuetudo sit generalis abrogatur per legem subsequenter, quamuis illius non fiat mentio: si autem sit specialis, non potest abrogari per legem subsequenter, nisi expressè fiat mentio consuetudinis per verba abrogatiua. Et hoc est quod dicitur in d. c. 1. de consuet. Ratio autem huius differentia est, quia vt Legislator abroget priorem consuetudinem per legem subsequenter, opus est vt nouerit consuetudinem, & quando est consuetudo generalis, praesumitur iure nota à Legislatore: quando autem est specialis, potest ignorari in particulari, & praesumitur ignorari, si eius non fiat mentio in lege subsequenti, atque aded consuetudo specialis in isto casu non abrogatur. Et ita docet Montefinus in p. 2. sem. 2. disp. 23. de legibus, q. 13. n. 151.

RESOL. XXX.

An si lex improbat consuetudinem per verba generalia, non solum de consuetudine praeterita, sed etiam de futura intelligatur? Ex p. 6. tr. 5. Ref. 23.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet ex multis Sanchez tom. 2. lib. 7. disp. 4. num. 13. vbi sic ait. Si dicas per verba apposta, non obstante consuetudine non derogari consuetudini futurae, sed solum praeteritae, iuxta glossam celebrem Clement. statum. verb. consuetudine de elect. ac proinde non obstante quo minus consuetudo postea introducta possit impedimentum diutius abrogare abolendo ius Pontificium, quod illud statuerat. Non inuabit haec euasio. Quia illa doctrina gloss. communiter reprobat, & communis sententia docet utramque consuetudinem, vt multis citatis docet Tiraqueillus de retract. in praes. n. 13. & 19. Couarruias varior. c. 13. n. 14. Burgos de Paz l. 1. Tauri, num. 464. & 479. Zauallus in suis questionibus pract. q. 704. per riam. Haec Sanchez.

2. Sed non desinam hic adnotare sententiam Gloss. à Sanchez reprobata approbare Suarez lib. 7. cap. 7. à num. 2. existimantem verba illa generalia, non obstante contraria consuetudine, solum ad praeteritam consuetudinem se extendere, neque futuram respicere; quia improbare consuetudinem est quod odiosum, ergo non est extendenda, sed limitanda. Secundo, quia illis verbis solum intendit Legislator tollere consuetudinem contrariam suae legi: consuetudo autem quae nondum est, non est legi contraria: ergo de illa lex non loquitur. Tertio quia sepe Legislator verbis claris consuetudinem futuram prohibet, vt si dicat, nolumus contra legem hanc aliquam consuetudinem valere: ergo cum id non exprimit, censendus est solum praeteritam consuetudinem improbare.

3. Et tandem non desinam hic apponere verba Vilalobos in summa, tom. 1. tract. 2. difficult. 39. num. 8. vbi sic ait. Que diremos si en la ley se pone clausola, non obstante quacunque consuetudine? Respondeo con Couarruias lo primero, que si la ley d Canoa reprobase alguna costumbre por iniqua y mala, no solo condena la pasada: si no la futura, porque es la misma razon de

la vna que de la otra. Lo segundo digo que si la ley reprobare expressamente la costumbre futura, no puede preualecer contra la tal ley costumbre, como dizen Abad, y otros que cita, salvo se viese nueva causa para induzir la tal costumbre, como lautamente lo prouea Couarruias y Sanchez. Mas quando no dize mas, que non obstante consuetudine: no deroga mas que la pasada. Ita ille.

RESOL. XXXI.

An consuetudo habeat vim interpretandi legem? Ex p. 6. tr. 5. Ref. 24.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Montefino in p. 2. tom. 2. disp. 23. de legibus, q. 7. n. 256. & aliis Doctoribus supra citatis. Et ideò Sacra Rota in vna Romana pensionis die 14. Februarij 1583. & in vna Burgensi Quindenniorum die 5. Decembris 1601. coram Seraphino deci. 606. n. 17. & dec. 1410. n. 3. dixit consuetudinem esse optimam legis interpretem.

2. Sed pro maiori intelligentia notandum est dupliciter posse consuetudinem interpretari legem; vno modo sic, vt tantum sit index & quasi testis veri, & germani sensus Legislatoris, qui ex modo & consuetudine seruandi legem colligi potest, tanquam ex probabili videlicet, vel moraliter certo argumento, nisi aliunde de contrario constaret: cuius quidem argumenti tanta est efficacia, quod Doctores frequenter dicant legem esse interpretandam iuxta consuetudinem loci, etiam si oporteat verba legis minus propriè exponere. Vide Glossam in c. nonnulli de rescrip. Quod etiam locum potest habere in consuetudine antecedente legem, si nimirum ad eius conformitatem, vel confirmationem lex sequens appareat lata: alio modo potest consuetudo interpretari legem, tanquam scilicet causa concurrens ad introducendum & stabilendum aliquem sensum legis, eiusque obseruationem; qui forsitan minus cum prima Legislatoris mente congruat, vel plus aut minus contineat; & hanc virtutem intendunt potissimum Authores adscribere consuetudini, quando conclusionem supra postam tradunt. Et probari potest, quia non est necessaria maior auctoritas, nec expressior voluntas Legislatoris ad legem interpretandam quam vel ad nouam inducendam, vel ad inductam abrogandam, aut derogandam; quod consuetudinem praestare posse iam supra demonstratum est. Hinc fit quod licet aliquando ex verbis aut materia legis sit ambiguum, vtrum sub mortali obliget, & ideò per se sumpta foret in benigniorem partem interpretanda; nihilominus si constet eam consuetudinem esse receptam, tanquam grauius & sub mortali obligatam, debeat ille censi hoc modo obligare; vt docet Syluester verbo, Praeceptum, num. 2. & Caietanus 2. 2. q. 186. art. 9. ad primum. & Nauarrus cap. 21. num. 11. & alij.

Sup. hac consuetudine late in tom. 2. tr. 1. ex ref. 68. lege 5. Et tandem, & alias plures Ref. Et §§. eius not.

RESOL. XXXII.

An consuetudo possit lege abrogari?

Et notatur, quod per legem vniuersalem non censetur abrogata consuetudo alicuius loci, neque statutum ius commune non continens, nisi talis statuti, aut consuetudinis fiat mentio specialis.

Etiamsque aduertitur legem specialem factam à Principe, vel Pontifice pro aliqua Ciuitate, aut Prouincia non derogare consuetudinem illius Prouincia, nisi expressè apponatur clausula derogatoria.

Et tandem quaritur, an Episcopus sicut potest renouare suam legem, ita & tollere consuetudinem suae Diocesis propriam? Ex p. 6. tr. 5. Ref. 25.

K 4 §. 1.